quod Petrus in rationali Catecheſeos requirit, nimirum γεῦσιν ἔ χρῖσε, guſtum Chriſti, & ejus χρηστότητος v. 3. noſtri textus. Hujus ſententiæ eſt etiam Celeberr. Dn. Andreas Hochſtetterus, Theologus Tubingenſis, quem aliquando in lectione publica legentem, & dictum paulo ante citatum vere catechetice, ac erudite explicantem, audivi 2.) Soliditas requiritur, ſiquidem, uti res omnes, quæ in ſcientiis traduntur, debent eſſe conſtitutæ ad regulam immotæ Veritatis; ita γνῶσις Theologico-catechetica nitatur, neceſſe eſt nullo alio fundamento, quam Scriptura Sacra, adeoque Veritate ipſa. 3.) Adæquata methodo opus eſt, ut ne quicquam ponatur, quod non ſub formali Catecheſeos, ſeu quod non ſub perſpicua quadam & brevi notitia credendorum & agendorum comprehendatur. 4.) Proprietas verborum perſpicuitatis cauſa non poſtponenda, ut, quoniam pueri & imbecilles catechumeni informationis indigent, illi proprietati verborum aſvefiant. Nec primum quæſtiones & reſponſiones myſtice ſunt tradendæ, quibus capiendis captus puerilis impar eſt. Imo ſæpe qui jamjam adoleſcentes in doctrina eſſe volunt, tanta capacitate non pollent improprietatem tam verborum, quam ſenſus, enodandi. Nutrimentum infantum, ait B. Dorſcheus, Apoſtolus dicit eſſe lac; adultorum vero στερεὰν τροφήν: Sic & incipientium informatio lacti ſimilis, ſimplex, facilis & aperta eſſe debet. Perfectiorum vero ſublimior, abundantior & plenior ac perfectior eſſe poteſt. Quemadmodum autem infans, lacte aduc nutriendus, ineptus eſt ad cibos ſolidos: ſic & incipientes idonei non ſunt, qui ſublimioribus iſtis & myſticis adhibeantur ſenſibus. Oritur dubium circa hoc requiſitum ex viſceribus ipſius pene noſtri textus. Immediate enim lac noſtrum rationale ſequuntur difficiliores quædam doctrinæ v. 9. de ἰουδαϊκαῖς ἀνθρωπίναις, ubi ad vetus Inſtrumentum recurrendum eſt, & declarandum, quid

Hochſtetteri mens circa hoc ζήτημα.

Requiritur Soliditas.

Perſpicuitas.

Proprietas verborum.

Objectio circa 4. requiſitum.